

1656.

1310 d. 27 Febr.

ASMUND LANGS testamentariska anordning af Hofsgårde på Wisingsö till Alvastra kloster-
kyrka, penningar till andra kloster och kyrkor, samt lösegendom till serskilda personer.
A. 3. v.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis, Ego ASSMUNDUS dictus LANGH
sanus mente licet eger corpore considerans mortis certitudinem quamuis
eius hora penitus ignoretur cunctis mortalibus jminere. cupio peccamina mea
elemosinis ac operibus misericordie preuenire et temporalia jn indeficientes
tessauros commutare. ex deliberacione diutina condo testamentum meum jn
hunc modum jn primis ecclesie sancte marie jn aluastrum et monachis ibi-
dem deo famulantibus ex consensu vnanimi dilecte consortis mee ramburgis
conffero curiam meam jn wysingxhø sitam hoffxgerdhe cum omnibus suis
attinenciis domibus agris pratis memoribus ac pissarijs, jnsuper volo de
mobilibus eiusdem curie tantum jn ea remanere videlicet III^{or} boues. III^{or}
vaccas II vectigalia VIII^o ssues cum annona quanta ssufficit ad sseminandam
curiam supradictam vno anno jta tamen quod dimidia pars istarum rerum
mobilium cedat discrete matrone katerine. et dimidia pars monachis supra-
dictis supplicans autem monachis memoratis ex consilio abbatis birgeri. vt
mei memoriam habeant ssingulis annis jn crastino apostolorum petri et
pauli et conuentuj nessessaria ex prouentibus dicte curie eodem die mini-
strentur Item vt multiplicatis jnterssessoribus pater misericordiarum ffaci-
lius ad jndulgenciam jnclinetur. lego monasterijs junacopie sskæningie cui-
libet III marchas. osspitali sskæniggie vnam marcham jtem ecclesie sancte
marie sscaris ac reliquis eclesijs et monasterijs ibidem cum osspitali cuilibet
vnam marcham. Ecclesie jn rugbiarghum vnam marcham. Sacerdotj eciam
tantum Ecclesiis ffrennarudh. linderaas. grennæ. strø et kumlæby cuilibet
do et lego vnam marcham et sacerdotibus similiter earundem ecclesiarum
jtem ne iudicer beneficiorum ac laborum jngratus mihi jnpenssorum dilecte
consortj mee conffero ambulatorem meum rubej coloris. domino karulo
sacerdotj .X. marchas domino birgero abbatj vnum equum rubej coloris.
aberno hæmingsson vnum ambulatorem et sex marchas denariorum dilecto
consanguineo meo thukonj paruo vnum dexstrarium. meum hernisskio et
omnia arma mea ffamulo meo fatatur .III. marchas benedicto jngiborghæs-
son II boues et II oras annone. Magno laurencij filio vnum herniskio be-
nedicto paruo vnum equum cum mea cella dilecte filie mee gydhu dimidiam
marcham annone et tunicam meam rubeam Dilecte ffilie mee margarete di-
midiam marcham annone et tunicam meam blauj coloris. Sororibus jn
kumlæby vnam vaccam et karelo conffero libertatem ac vnum equum cum
vna cella. ebbe vnum equum. paruulo meo nicholauo vnum equum. pro pe-
cunia jn qua est mihi obligata osspita mea sskæniggie hiamborggis jpsam

relinquo quitatam. oro igitur dominos meos duces illustres causa dei omnipotentis vt hanc donacionem meam certificent et confirmant. jpsam sigillorum ssuorum munimine roborantes. Ego vero ssigillum meum vna cum sigillis nobilis domine. domine ragnildis que presens ffuit huic ordinationi et discretorum virorum domini birgeri abbatis de aluastrum. domini karuli sacerdotis benedicti jngiborghesson magni laurinsæsson et aberni hæmigxsson sscripto duxi pressenti apponendum Datum et actum anno domini. M^o. CCC^o. X^o. quarto kalend. marcij.

På fransidan: de donacione asmundi laang de wysingsöo de höffxgherde.

Alla 10 sigillen borta; remsorna kvar.

1657.

1310 d. 5 Mars

Helsingör.

Konung BIRGERS gåfvobref på Algö gård till Folke Jonsson, såsom ersättning och belöning för mångfaldig trogen tjenst.

J. 6: 131.

Vniuersis præsens scriptum cernentibus, tam præsentibus quam futuris, BIRGERUS Dei gratia Sveorum Gotorumque Rex, salutem in Domino sempiternam. Nobilis viri Domini Folconis Ionsson, fidelis nostri, præsentis Exhibitoris seruicia multiplicia nobis tenerius inpena, debita meditatione pensantes ratione inducimur, et voluntarijs motibus merito prouocamur, vt non solum fidem ipsius, et devotionem firmam dignis fauoribus, et votuiis remunerationibus compensemus, verum Etiam de seruicio nostro reddere volumus, indempnem, et de præmijs non immunem, autoritate Regia sibi damus, suisque veris hæredibus, curiam nostram dictam Algöö, cum colonijs omnibus, agris, pratis, pascuis, piscaturis, siluis, venationibus, et ceteris alijs curiæ adiacentibus, prænotatæ habendam, tenendam, et in perpetuum possidendam. pro nobis nostrisque hæredibus, pacifice et quiete, nec volumus nos diebus nostris, nec hæredes nostri teneantur, aliquo de iure in posterum revocare. In cuius rei testimonium sigillum nostrum, vna cum sigillo Magnificij Principis. Domini E. Dei gratia Regis Danorum Illustris, et aliorum nobilium Dominorum, videlicet Domini Magni, Episcopi Vexionensis, Domini Leonardij dapiferi, Domini Turonis Kiätillsson, Camerarij, Domini Haquini Lāmā Marscalki nostri, Domini Canuti Ionsson, Domini Tuconis Ionsson, Domini Petri Liquidsson, Domini Töriri Birgirsson, Domini Haquini Haralsson, Domini Holmvidi Elefsson, consiliariorum nostrorum dilectorum præsentibus est appensum. Datum Hålsingör, Anno Domini Millesimo, CCC Decimo, III Nona Martij.

Enligt teckningen hafva sigillen N. 6 och 8 funnits oskadade, de öfriga 9 borta.

1658.